**55rB** Postea quaeritur

*a.* an ita insit homini naturalis loquela quod loqueretur quis etiam si ab infantia esset educatus in deserto neminem umquam audiendo;

*b.* et si essent duo pueri [duo pueri] ab humana conversatione separati, etiam a se invicem, utrum, si ambo loquerentur, haberent eandem an diversam et diversam loquelam.

*1. (ad a).* Quod autem non loqueretur infans qui sic est remotus a conversatione hominum videtur eo quod omnis loquens loquitur aliquo idiomate; iste non loqueretur aliquo idiomate, quia nec gallice nec anglice nec latine nec graece nec hebraice etc.

*3a.* Et dicendum quod ipse loqueretur et proferret voces litteratas volens per eas animi conceptum significare, non tamen loqueretur in aliquo tunc hominum idiomate, sed de se construeret novum idioma non instructus. Ex hoc patet differentia inter homines loquentes et aves loquentes, sc. quod homines loquuntur litteratorie et imponunt illas voces ad significandum quod est apud animam conceptum, quamvis non fuerint instructi; aves autem, quamvis loquantur litteratorie in aliquo idiomate, egent instructione, nec **/55vA/** etiam [possunt] imponunt voces ad significandum.

*3b.* Ad secundo quaesitum dicendum quod pueri in diversis locis desertis commorantes nullam audientes loquelam non loquerentur eodem idiomate, nec intelligeret unus alterum, quia iste suo modo et pro voluntate sua aliter formaret voces litteratas quam alius; et si fortuito casu accideret quod quasdam voces ea<s>dem haberent, diversis tamen rebus forte unam vocem imponere<n>t, ac si hic appellaret tale animal 'hominem' et tale animal 'equum', alius vero econverso. Quod si aliquam vocem unam uni et eidem rei imponerent in construendo sibi idiomata, hoc mirabiliter accideret et valde a casu duplici: unus enim est casus quod eadem vox inventa sit apud diversos, alius casus—et mirabilior—quod eidem rei significandae imponatur.[1]

---

[1] imponatur] īpo()tur **P**.

Verumtamen si essent cohabitantes in uno loco deserto, credo ipsos posse invenire unum novum idioma eis commune. Necessaria tamen esset eis sensibilis demonstratio rerum inter eos, ut quando unus formet vocem ostendat alteri rem cui vult imponere, et quod illa vocis impositio memoriter retineatur penes utrumque vel alterum.

Nec credo hoc esse verum quod famose dicitur quod quilibet puer non instructus ad loquendum loqueretur hebraice. Illi enim qui modo loquuntur hebraice, ut iudaei, egent necessario multa doctrina et instructione. Item, apud hebraeos est ars loquendi recte et non recte; ars autem non est circa ea quae sunt a natura, nullus enim eget arte ad comedendum etc.; ergo loqui hebraice non est a natura. Verumtamen, quia facilior est vocum hebraicarum formatio—ut in pluribus, dico—quam formatio vocum aliorum idiomatum, ideo credo quod pueri in deserto magis convenirent in suis vocibus cum vocibus hebraicis quam aliis alterius idiomatis, non penitus et universaliter; nec etiam si eodem modo formassent voces, non tamen singulas voces singulis rebus imponerent eodem modo quo modo habent hebraei eas impositas, sed aliter penitus; et si aliquas res penitus eisdem vocibus appellassent, hoc esset quam maxime a casu.

## *Quaestio II.55*

**58vB** <II.11.422b17> DE EO AUTEM QUOD POTEST TANGI

*mg dext:* Quaestio secundum .R.

Quaestio est hic an omnis sensus particularis sit aliquis tactus.

*1.* Quod non sic ostenditur:

*1.1* Si ita esset, ergo tactus non poneret in numerum cum ceteris sensibus; sed iam ponit et est quintus.

Et tamen haec ratio posset prohiberi per hoc quod gustus et tactus ponunt in numerum, et tamen gustus est quidam tactus. Sed qualiter hoc habeat **/59rA/** veritatem patebit post.

*1.2* Item, eorum quae ex opposito dividunt aliquod commune, sicut visus et auditus etc. condividunt sensum, non praedicatur unum de altero vel alteris.

*1.3* Item, comparatio sensibilium inter se est sicut comparatio sensuum; sed visibile et audibile secundum quod huiusmodi non est tangibile; ergo nec visus nec auditus est tactus.

*1.4* Item, in libro De sensu et sensato[1] reprehendit Aristoteles eos qui ponunt omnia sensibilia esse tangibilia et omnem sensum esse tactum.

*2.* Ad oppositum:

*2.1* Omnis actio, similiter et passio, naturalis fit per contactum (hoc scribitur in libro De generatione[2]); omnis sensus est naturalis actio vel passio; ergo etc.

*2.2* Item, quotiens aliquid dicitur de pluribus secundum prius et posterius, illud quod primum est salvatur in omnibus posterioribus—verbi gratia, cum ens dicatur de substantia et accidentibus per prius et posterius, sub omni accidente, in quantum ipsum est ens, est substantia. A simili, cum sensus dicatur analogice de particularibus, et primus illorum sit tactus, erit tactus sub unoquoque aliorum. Quod autem tactus sit primus sensuum apparet per Aristotelem in libro De sensu et sensato, et etiam in isto secundo De anima,[3] cum dicit quod animal dicitur animal propter sensum primum, qui est tactus. Et quia prius est a quo non convertitur subsistendi consequentia, sed sequitur 'aliquis sensus aliorum alicui inest, ergo[4] tactus inest', et non econverso.

*2.3* Item, gustus est quidam tactus, sicut habetur in De sensu et sensato;[5] quare ergo non similiter est quilibet alius sensus quidam tactus?

*3.* Ad hoc dicendum quod sicut haec propositio est vera 'omnis actio et passio naturalis est per contactum agentis cum patiente', ita verum est quod omnis sensus sit per contactum sensibilis cum sentiente.

Sed attendendum est quod tactus sive contactus dicitur multipliciter:

Uno modo et communissimo dicitur tactus sive contactus simultas quorumcumque, sive fuerint quanta vel non; et hoc modo verae sunt iam dictae propositiones. Cum enim agit ignis in corpus distans ab eo calefaciens ipsum, primus ignis emittens calorem non tangit ipsum patiens, sed virtus

---

[1] Arist., *Sens.* 4.442a29-442b3.

[2] Arist., *GC* I.6.322b21-24.

[3] Arist., *de An.* II.2.413b2.

[4] ergo] quod **P**.

[5] Arist., *Sens.* 4.441a3.

calefactiva quae emittitur ab illo igne tangit ipsum patiens, ita quod est simul cum eo non tantum in superficie sed in profundo. [et in hoc differt naturalis a mathematico] Similiter in quolibet sensu est contactus sive tactus sensibilis cum sentiente, hoc modo sc. quod a re sensibili obiecta transmittitur ad ipsum sentiens virtus quae est motiva sensus, et haec virtus simul est cum sensu quando agit in sensum; et quod defert hanc virtutem est species rei obiectae sensibilis, et quod defert hanc speciem a re obiecta ad organum sensus est medium.

Alio autem modo dicitur tactus applicatio quanti ad quantum; et ille modus sic dividitur, quia quod est quantum aut est mathematicum aut physicum. Item, si quantum physicum tangit aliud quantum physicum, adhuc dividitur, quia aut erit ille tactus cum apprehensione, ut si alterum contingentium vel utrumque fierit apprehendens, vel sine apprehen-**/59rB/**sione, ut si neutrum fuerit apprehendens, sicut lapis tangit lapidem. Si cum apprehensione, sic dicitur sensus tactus prout comprehendit sub se gustum et tactum; ergo si sit cum apprehensione saporum, erit ille tactus gustus, et sic intelligendum quod gustus est quidam tactus. Si autem sit cum apprehensione specierum tangibilium, de quibus postea dicemus, erit tactus qui est primus sensus quinque particularium sensuum et ponens in numerum cum quattuor reliquis.

Ex ista distinctione patet tam quaestionis dissolutio quam ad obiecta responsio. Patet etiam ratio analogiae ipsius tactus ad alios.

## *Quaestio II.56*

<II.11.422b13> OMNIS ENIM SENSUS UNIUS CONTRARIETATIS

*mg dext:* Quaestio secundum A.

Quaestio est de dictis in hac parte, et primo super hoc quod dicitur quod sensus unus est unius contrarietatis. Cum enim in contrarietate sit duplex natura, et unus sensus est unius contrarietatis, utrum ergo in sensu uno est duplex natura correspondens duplici naturae in contrarietate, an sit una natura in sensu uno respondens unicuique parti contrarietatis. Si primo modo, tunc nullus sensus proprius est vere sensus unus, cum in omni sensu sit duplex natura. Si secundo modo, tunc unitas sensus respondet uni rei ad quam reducantur ipsa contraria; sed ista unitas non est unitas secundum speciem sed secundum genus; ergo unitas in sensu non est unitas

secundum aliquam naturam specialem, sed tantum secundum genus; quod est inconveniens.

*3.* Ad quod dicendum quod in unoquoque sensu [[sunt]], ad minus alio a tactu, est una natura specialis, quae primo nata est ad unam partem contrarietatis, sc. ad illam quae se habet per modum habitus; secundario vero ad aliam partem contrarietatis, sc. privationem, de qua non iudicas[1] nisi mediante prima, sicut non iudicas de obliquo nisi mediante recto; et propter hoc non †oportet†[2] quin in sensu uno sit unitas secundum sensum specialem, licet contraria apprehensa ad aliquid unum secundum speciem non reducantur.

## *Quaestio II.57*

Consequens est quaestio, si omnes qualitates posteriores reducantur ad differentias tangibiles, propter quid tactus, qui est iudex tangibilium, non potest esse iudex omnium qualitatum posteriorum sicut visus, qui est [in] iudex colorum extremorum, est simpliciter iudex omnium aliorum colorum mediorum.

*3.* Ad quod dicendum quod quaedam qualitates posteriores sunt valde propinquae differentibus tangibilibus, ita quod fiunt per mixtionem earum et non addunt naturam novam super illas: et omnium talium potest tactus esse iudex. Quaedam vero sunt valde remotae a differentiis tangibilibus, quae non fiunt per mixtionem earum sed consequuntur quodammodo ad mixtionem earum et addunt naturam novam super differentias tangibiles; et talium non potest tactus esse iudex.

## *Quaestio II.58*

Consequens est quaestio super hoc quod vult tactum non esse sensum unum.

*1.* Contra quod sic:

*1.1* Si tactus non sit sensus unus, ergo non sunt tantum quinque sensus.

---

[1] iudicas – iudicas] *an* iudicat – iudicat *scribendum?*

[2] oportet] *lectio incerta* **P**.

*1.2* Item, sensus communis in essendo unus sensus potest sentire omnes differentias sensibiles, ergo tactus in essendo sensus unus potest sentire omnes diffferentias tangibiles.

*1.3* Item, sicut materia est susceptiva contrarietatum secundum materiam, sic sensus est susceptivus contrarietatum secundum speciem; sed materia in essendo una est susceptiva plurium contrarietatum secundum materiam; ergo sensus **/59vA/** in essendo unus potest esse susceptivus plurium contrarietatum secundum speciem.

*1.4* Item, maior est unitas in qualitatibus primis quam in posterioribus; sed differentiae tangibiles sunt priores aliis; ergo maior est unitas in illis quam in aliis sensibilibus; ergo maior <est> unitas in tactu quam in aliis sensibus.

*1.5* Item, maior est unitas in radice quam in eo quod sequitur radicem; sed tactus est sicut radix ad quam consequuntur alii sensus; quare maior est unitas in tactu quam in aliis sensibus.

*1.6* Item, instrumentum tactus est tantum unum; ergo tactus tantum unus sensus. Probatio primae: instrumentum in tactu non est denudatum a differentiis tangibilibus sed ab ultimitatibus earum, ut infra habetur,[1] inter quas ultimitates ipsum est medium; sed medium est iudex extremorum; in hoc ergo instrumento, cum sit medium et unum, potest esse iudicium omnium extremorum; ergo sufficit quod sit unum; ergo secundum naturam debet esse tantum unum.

*1.7* Item, in hiis tribus sensibus—visu, auditu, olfactu—sunt duo instrumenta extra reducta ad aliquid unum intra; in tactu vero non sunt aliqua huiusmodi duo extr[em]a, et hoc est signum manifestum quod non est nisi aliquid unum intra, et ita instrumentum tactus est tantum unum; quare tactus est tantum unus sensus.

*3.* Ad hoc dici potest quod sicut substantia elementi est una et tamen illa substantia duplicis naturae est, sic substantia tactus est una et tamen illa substantia duplicis naturae est secundum duplicem naturam aeque primam in contrarietatibus quarum est iudex.

→ *1.1-7* Rationes vero obiectae bene concludunt quod substantia tactus est una, sed non concludunt quod haec substantia non sit duplicis natura;

[1] *Cf.* Arist., *de An.* II.11.424a2sqq.

immo ratio Aristotelis demonstrat quod necesse est hanc substantiam esse duplicis naturae.

## *Quaestio II.59*

*mg sin:* Quaestio secundum .R.

Cum autem iam habeamus qualiter \sensus/ tactus ponat in numerum cum reliquis, quaeritur an ille sensus sit unus sensus particularis an plures.

*1.1* Si plures, ergo non haberemus tantum quinque sensus particulares sed sex vel plures.

*1.2* Item, cum tota anima sensitiva sit una simplex substantia, ipsa in se non dividitur nisi per virtutes, et haec divisio virtutum est a diversitate partium sive organorum corporis, in quibus exercet anima suas operationes; quia enim receptum est in recipiente per modum recipientis et non per modum recepti, ideo corpus animalis cum recipit informationem animae sensitivae recipit ab eisdem diversas virtutes in suis diversis partibus diversimode dispositis, ut in oculis virtutem visivam et in auribus auditivam, et sic de ceteris. Hinc arguo sic: distinctio virtutum sensitivarum est [alia] a distinctione organorum; cum igitur in corpore unius animae non sint organa tangendi specie diversa, non erunt in eo virtutes tactivae specie distinctae et differentes.

*1.3* Item, si plures sint tactus, quare ergo non pluribus nuncupatur nominibus? Vel quare animalia imperfecta habentia tantummodo gustum et tactum non nisi duos dicuntur habere sensus?

Ad haec duo respondet Aristoteles dicens quod latet nos pluralitas quae est in tactu, quia medium per quod sentiuntur omnia sensibilia est pars ipsius sensitivi.

*2.* Quod autem tactus non unus sed plures sit sensus arguitur:

*2.1* Omnis sensus unus unius est contrarietatis primo et principaliter; tactus non est unius contrarietatis sed plurium; ergo non erit unus sensus sed plures secundum speciem. Verbi gratia, tactus est sensus calidi et frigidi, humidi, sicci, duri, molli<s> et aliorum multorum, quae non videntur posse reduci ad unam contrarietatem.

*2.2* Item, unius una est perfectio, et quorum sunt plures perfectiones, ipsa sunt plura; cum ergo sensibile sit pefectio sensus sicut intelligibile intellectus, sequitur quod si sensibile non sit unum, quod nec sensus erit unus **/59vB/** specie sed plures.

*2.3* Item, si tactus sit unus, quare ergo non reducuntur omnia tangibilia ad unum secundum genus et nomen, sicut omnia visibilia ad colorem et omnia audibilia ad sonum?

*2.4* Item, si tactus sit unus sensus et tangibile unum secundum genus, et unius una est definitio, quaeritur quae sit illa definitio sensus tactus, et quae definitio tangibilis.

*2.5* Item, tam Aristoteles quam Averroes[1] videntur velle quod tactus <non> sit unus sensus.

*2.6* \Item quaeritur, cum sensus sit quaedam medietas inter sensibilia extrema contraria, nos videmus quod eadem[2] duo extrema contraria plura possunt habere media, sed non videmus quod duo paria extrema contrariorum idem habeant medium nisi aequivoce; ergo, cum tactus sit medium inter duo paria vel tria extremorum contrariorum, erit tactus aequivoce[3] sensus./

## *Quaestio II.59^bis^*

Item, quaeritur quomodo sensus est medietas sensibilium contrariorum.

*1.1* Si enim contraria visibilia sint album et nigrum, et visus sit medium inter haec, ergo erit pallidum vel rubeum vel viride vel huiusmodi, haec enim sunt media.

*1.2* Item, omne medium est in eodem genere cum extremis, ut habetur in primo Posteriorum in capitulo de statu praedicamentorum;[4] similiter habetur hoc in IX° Metaphysicae[5]—genere, dico logico; ergo virtus sensitiva esset accidens, quod absurdum est dicere.

---

[1] *Cf.* Averroes, *de An.* II.109, 299.10-11: "Cum dedit sermonem necessarium ex quo apparet quod sensus tactus est plus uno". *Item* II.112, 302.7: "Et demonstrat quod sensus tactus est plus quam unus".

[2] eadem] *lectio incerta* **P**.

[3] aequivoce] aequivocus **P**.

[4] Arist., *APo.* I.22.

[5] *Locum non inveni.*

*1.3* Item, si sensus sit medietas extremorum contrariorum eo quod medium est discretivum extremorum, ut dicit,[1] quare non apprehendit et distinguit color medius colores extremos vel virtus media inter duas malitias utramque malitiam, ut largitas prodigalitatem et avaritiam?

*3.* Et ad hanc quaestionem dicendum quod medium dicitur multipliciter. Uno modo illud quod est in potentia respectu actus utriusque extremi, quamvis illa extrema physica mixtione non commisceantur ad illius medii [extremi] compositionem; et hoc modo dicitur punctus esse medium inter lineam rectam et curvam, unita<s>que paris et imparis, et natura unitatis media inter omnes contrarias passiones repertas in[2] numero, et natura puncti media inter omnes contrarias passiones repertas in continuo. Hoc modo dicitur sensus seu natura animae sensitivae esse in medietate contrariarum specierum sensibilium. \Alio modo dicitur esse medium inter aliqua quod componitur partim ex hoc et partim ex illo; et hoc dividitur, quia aut compositum est eiusdem generis proximi cum ipsis componibilibus, sicut rubeum cum albo et nigro, et tepidum cum calido et frigido; aut non eiusdem, ut largitas, quae est alterius generis quam extrema vitia, et mixtum ex elementis alterius est generis proximi quam ipsa miscibilia. Et hoc ultimo modo verum est dicere quod in compositione organi consistit [[in]] medieta[[tibu]]s extremorum sensibilium per illud organum, et in compositione oculi est quaedam medietas et temperamentum colorum, et in compositione linguae temperamentum est medietas saporum, et in compositione carnis aut nervi quaedam medietas tangibilium, et sic in aliis, ita quod in compositione organi sensus visus consistit temperamentum omnium sensibilium specierum. †.5.†/

---

[1] Arist., *de An.* II.11.424a6.

[2] in numero – repertas] *iter.* **P**.

## *Quaestio II.60*

*mg dext:* Quaestio secundum .A.

Consequens est quaestio super hoc quod vult[1] carnem non esse instrumentum in tactu.

*1.* Contra quod sic:

*1.1* Instrumentum tactus debet esse complexionatum ex differentiis tangibilibus in medietate existentibus, ut habetur infra;[2] caro est corpus huiusmodi; ergo debet esse instrumentum tactus.

*1.2* Item, ut habetur in primo huius,[3] ossa, nervi et pili non sentiunt propter terrestrietatem abundantem in illis; nullum ergo horum est instrumentum alicuius sensus, quare nec tactus; quare oportet quod caro sit instrumentum eius.

*1.3* Item, omnis pars vera[4] animalis est animata anima sensitiva; caro est vera pars animalis; ergo est animata anima sensitiva; ergo in carne ut in subiecto est aliquis sensus, sed hoc non est nisi tactus; alicubi[5] enim in carne est nullus alius sensus; in [[con]] carne ergo ut in subiecto est tactus.

*1.4* Item, caro aut de sui natura potest sentire differentias tangibiles aut non. Si non, ergo non vivit vita sensitiva; si potest, ergo in carne est sensus quo potest sentire differentias tangibiles; ergo in carne est tactus.

*1.5* Item, caro nutritur et augetur; ergo in carne est vis vegetativa; sed vegetativa et sensitiva non separantur loco in animali, ut praehabitum est; ergo simul cum vegetativa est sensitiva in carne; ergo aliquis sensus, qui non potest esse nisi tactus.

*3.* Ad haec dici potest quod sicut virtus visiva non radicatur in superficie oculi extra sed in quodam nervo interiori ad quem[6] colligantur duo oculi, ut habetur in libro De sensu et sensato,[7] sic virtus tactiva non est primo in superficie carnis extra, sed intus in quodam nervo ut in subiecto a carne

---

[1] Arist., *de An.* II.11.423a4-5.

[2] Arist., *de An.* II.11.423b26-424a5.

[3] Arist., *de An.* I.5.410b1.

[4] vera] *vel* una (u *cum* a *suprascripta*) **P**; *item paullo infra.*

[5] alicubi] alicuiubi *vel* aliterubi **P**.

[6] quem] quod **P**.

[7] *Locum non inveni.*

circumdato, a quo quidem nervo influitur virtus sentiendi in carnem circumdantem. **/60rA/**

→ *59$^{bis}$, 1.3* Ad hoc autem quod quaeritur quare non omne medium discernit, respondendum quod nihil apprehendit aut discernit nisi quod est substantia. Unde nec color nec largitas nec punctus[1] nec unitas, quia nullum eorum est substantia sed accidens, nec adhuc omnis substantia ex diversis composita discernit, sed cui dispositor universi concessit; mineralia enim et plantae non discernunt.

### *Determinatio quaestionis II.59*

*3.* Ad primam quaestionem dicendum quod quaerere quomodo tactus sit sensus unus et quomodo plures multum simile est ad quaerere quomodo caro vel aliquod aliud corpus compositum ex tangibilibus, nec ex calidis frigidis, humidis siccis, mollibus et duris et huiusmodi, unum sit, et quomodo plura.

Sunt autem aliae quaestiones huic annexae:

- *a.* Una sc. quae quaerit, cum virtus visiva et tactiva sint[2] virtutes specie differentes, quomodo consistere queunt in eadem parte corporis, ut in oculo, ex quo distinctio virtutum est a distinctione organorum.
- *b.* Alia quaestio quaerit quare tactus dicitur omnium sensuum maxime materialis aut maxime proximus.
- *c.* Et tertia quaestio est quare hic sensuum est animali maxime necessarius.
- *d.* Et quarta quaestio est quare tactus dicitur primus sensus, seu quare non convertitur quod sicut tactus est ubicumque est aliquis ceterorum, sic et quilibet aliorum ubi et tactus.

Ad istorum igitur notitiam sciendum in principio quid est sensus tactus, et quae virtus tactiva, et quae sunt tangibilia. Dico ergo quod sensus tactus est prima apprehensio qua percipit animal formas operationum corporum naturalium applicatorum. Et haec definitio eget explanatione.

---

[1] punctus] p$^{c}$tus **P**.

[2] sint] sunt **P**.

Quia igitur haec definitio est sensus tactus, e[s]t sensus tactus prout est sensus particularis, et omnis †necessaria†[1] cognitio ortum habet a sensu particulari, ideo apponitur haec particula ‟prima”. Cum enim aliquis videt ignem quem non tangit, statim in ipsa visione cognoscit quod hoc quod videt calefactivum est, quia prius in re tali talem operationem expertus est. Apprehensio ergo caliditatis in illo igne non erit solum sensu particulari, sed potius per collationem et rationem; et fundamentum huius rationis est experimentum quod prius fuit in sensu, et ideo hoc quod dico ‟prima apprehensio” contrahit apprehensionem ad sensum particularem.

Haec autem differentia ‟qua percipit animal” ideo apponitur quia etsi intelligentiae superiores aut corpora supracaelestia percipiant formas operationum naturalium, hoc non faciunt sensu tactu, nec sensu omnino, immo virtute aliqua cognoscitiva concessa eis.

Haec autem differentia ‟formis operationum” apponitur ad determinandum et distinguendum differentias tangibiles, nam cum applicatur corpus physicum alii corpori physico, vel sentienti vel non sentienti, diversificantur formae operationum eius in illud secundum exigentiam tam agentis quam patientis:

Quandoque enim digerit unum aliud, et digerere aliquid est resolvere ipsum in simpliciora quae possunt elici ex illo,[2] et cum sensus percipit hanc formam operationis in aliquo quando ipsum sensitivo ap/**60rB**/plicatur, iudicat ipsum esse calidum, et ipsum sensitivum si pertractet dicit quod idem sensatum similem operabitur operationem in corporibus aliis si eius applicetur. Et memorandum quod digerere <est> ad plenum vel ad non plenum; operatio autem talis dicitur calefactio et virtus per quam perficietur operatio dicitur calor, et species deferens[3] virtutem est species seu forma rei calidae.

Quandoque autem constringit unum aliud et consolidat eius compaginem, quae est ex rebus differentibus [[in]] natura, et haec constrictio est infrigidatio, et virtus constringens est frigus, et deferens virtutem est forma frigidi, et illud est frigidum cuius est illa forma.

---

[1] necessaria] ncci[a] **P**; *an* nostra *scribendum?*

[2] illo] illis **P**.

[3] deferens] differens **P**.

Praeterea, ex applicatis ad invicem quandoque unum adaptat aliud ad hoc ut facilius possit digeri et rarefieri et suscipere operationem caloris, et sic adaptare aliquid est humectare illud idem.

Quandoque autem unum adaptat aliud ad hoc ut resistat digestioni et rarefactioni et pareat constrictioni, et hoc est desiccare. Et quia siccum et humidum consistunt in adaptatione ad constrictionem et rarefactionem, frigidum vero et calidum in ipsa constrictione et rarefactione, haec est una ratio quare [[s]] siccum et humidum passivae qualitates dicuntur, calidum vero et frigidum activae.

Et hic notandum quod inter omnia elementa praedominatur in igne calor, quia in eodem prae ceteris abundat virtus resolutiva seu digestiva, et haec virtus est consequens eius speciem per se. In eodem etiam est siccitas, quia non est in igne adaptatio ad digestionem aut rarefactionem, quia perfecte digestus est et rarefactus quantum se extendit possibilitas transmutabilis naturae; sed est in eo potentia ad condensationem ut in habitu est potentia ad privationem, et ideo in eo est siccitas consequens eius speciem.

In aere autem est humiditas per excellentiam, quia ibi est nimia aptitudo ad receptionem rarefactionis, et huius signum est quod aer vicinatur igni in compositione universi, et humiditas est qualitas consequens eius speciem per se, caliditas vero est in eo quia approximatur naturae ignis, quamvis non attingat eius virtuti ad plenum; et haec qualitas consequitur eius speciem per accidens, nec tamen adeo[1] per accidens ut siccitas consequitur speciem ignis.

In aqua autem excellit[2] frigiditas, non quod ita sit omnium corporum constrictivum, sed maxime constrictivum, nam quod maxime constringitur ex simplicibus terra est, et in eadem est maxima aptitudo ad constrictionem et ineptitudo ad expansionem et dilationem, et ideo maxima siccitas; et quia frigidum ex activis est, et actio dicit potentiam et habitum, et quod est ex natura terrae est per abnegationem et privationem, et maxima distantia est inter contraria prout unum dicit privationem et habitum et reliquum privationem et defectum, ideo terra, quae in situ universi maxime distat ab igne, maxime opponitur igni **/60vA/** in suis qualitatibus, si quis attendat oppositionem inter privationem et habitum et non oppositionem quae est

---

[1] adeo] aliud eo **P**.

[2] excellit] excellunt **P**.

inter duo quorum utrumque sonat et[1] privationem et habitum. Terra enim summe sicca est, quia summe inepta dilatationi, et ignis magis discrepat a terra quam si esset summe humidus, i.e. summe aptus dilatationi; ipse enim iam summe actu dilatatus, et in terra maxime invenitur effectus frigoris, sc. constrictio, sicut in igne maxime invenitur effectus caliditatis, sc. dilatatio; aqua vero nobilior est quam terra, et ideo retinuit effectum ignobilioris qualitatis activae, sc. frigoris, non effectum vehementissimum, sed virtutem activam fortissimam, et habet humiditatem quia approximatur naturae aeris in aptitudine ad rarefieri et dilatari. Et ecce quod utrumque ex elementis mediis habet suas qualitates aequanimius quam utrumque ex qualitatibus extremis.

Item, quandoque potest unum corpus applicatum alii penetrare illud et dividere, et tunc dicitur activum; quandoque vero non, et tunc dicitur hebes; quandoque premit unum al<i>ud deorsum vel trahit, et tunc dicitur grave; quandoque vero non, sed potius sublevat, et tunc dicitur leve; quandoque cedit corpus pulsui et divisioni, et tunc dicitur molle; quandoque vero resistit, et tunc dicitur durum; quandoque impedit rectum processum illius quod movetur super eius superficiem per hoc quod quaedam partes eius eminent, quaedam deprimuntur, et tunc dicitur asperum; quandoque vero non impedit sed sunt omnes eius parte regulariter eminentes aut regulariter depressae, et tunc dicitur leve.

Istae ergo sunt formae operationum corporum naturalium applicatorum, quae percipiuntur sensu tactu quando corpora naturalia applicantur ad sensitivum, et quando[que] non applicantur sensitivo iudicantur esse in ipsis corporibus per experimentum sumptum a sensu; et istae formae operationum sunt differentiae tangibiles. Et hoc quod intelligitur per hanc circumlocutionem ‟formas operationum naturalium corporum applicatorum” est illud unum genere ad quod reducuntur omnia tangibilia sicut visibilia ad colorem. Et si quaeratur quare illud unum non nuncupatur uno nomine sicut color aut sonus, sed per circumlocutionem, huius causa est quod dictae operationum formae tanta discrepant diversitate quod non facile est †adlinire†[2] ipsas in forma a qua imponatur nomen per quod possint omnia subintelligi, et cum deficiat impositi nominis unitas, expedit circumlocutio.

[1] et privationem] in positionem **P**.

[2] adlinire] *vel* adhuire **P**.

Haec autem particula ‟corporum [[per]] naturalium applicatorum” apponitur ad differentiam operationum quas operantur alia sensibilia in media et organa. Visus est prima perceptio qua percipit animal formas operationum corporum terminatorum in lucidum secundum quod lucidum, et quod[1] ad visum non facit per se et immediate applicatio neque etiam **/60vB/** esse naturale, sed per accidens et per medium, similiter et in aliis sensibus praeterquam in gustu et tactu. In tactu enim per se et immediate exigitur quod sit tangibile corpus naturale et applicatum, in gustu vero per se et immediate exigitur quod gustabile sit applicatum, per accidens vero et per medium exigitur quod sit naturale. Posito per impossibile quod quoddam[2] corpus non physicum haberet colorem aut saporem, ipsum esset visibile aut gustabile; curcumscripto autem ab aliquo ipsum ‟non physicum”, non amplius posset intelligi ipsum habere aliquam ex tangibilibus differentiis, nec ipsum est tangibile, quia per supradictas differentias tangibiles est omne physicum, et ideo dicit Aristoteles in capitulo de tactu[3] quod tangibilia sunt differentiae tangibiles corporis naturalis secundum quod huiusmodi.

Ex hiis potest patere quod sensus tactus non est adeo simplex aut unus ut visus aut auditus, quia differentiae tangibiles non sunt ade<o> reducibiles ad unum genus secundum nomen et definitionem sicut differentiae visibiles et audibiles.

Si autem quaeratur quare pluralitas circa sensum tactum potius reducitur ad unum secundum nomen et definitionem, verbi gratia ad tactum, quam pluralitas in ipsis tangibilibus, huius[modi] responsio est quod virtus tactiva est secundum substantiam unica et simplex sicut una est forma mixti ex diversis tangibilibus ad invicem commixtis, et propter hoc nuncupatur sensus unico nomine et simplici, sc. ‘tactus’, et omnia tangibilia prout nominantur in relatione ad illam virtutem unicam unicum habent nomen, secundum quod est ex illis vocantur ‘tangibile’. In quantum autem considerantur in se, in tantum discrepant, ut praedictum est, quod non unico nomine, sicut est ‘color’ aut †visu† ‘sonus’, sed circumlocutione nominantur.

Quomodo autem virtus tactiva sit unica et simplex in diversis partibus corporis, ecce mox declarabitur. Dico ergo quod corpus animalis est

[1] quod] *fortasse* quia *scribendum.*

[2] quoddam] quaedam **P**, *ut videtur.*

[3] Arist., *de An.* II.11.423b26-27.

heterogeneum, †et est sub eo sicut sub omni heterogeneo prius natura heterogeneum† potest aliquis imaginari si imaginatus fuerit semen animalis sub forma †conter† substantiali quam habet dum semen est[1] extendi quantum vero est totum corpus ipsius animalis. Sic enim verum est in re quod forma substantialis, quae prius fuit seminis, iam extensa est in omnem[2] partem corporis, et haec forma vocatur a medicis humor quintus, qui est proximum fomentum et subiectum caloris vitalis et vitae, et non est actu calor vitalis nec spiritus nec vita, sed propinqua potentia ipsorum; et haec potentia, cum animal completum est, est potentia cum actu; dum autem fuit semen, fuit potentia ante actum, et reducebatur in actum adminiculo agentis extrinseci. Cum enim semen in matrice est, †vocatur† forma eius per virtutem quae influit semini a corpore matris, ut exeat de potentia ad actum perfectum, et in isto exitu non corrumpitur forma naturalis ipsius seminis sed completur. **/61rA/** Et si obiciat aliquis de grano quod moritur in terra, dico quod forma eius situalis corrumpitur, forma naturalis seu activa nequaquam; et sicut semini animalis existenti in matrice influit virtus lunaris et a matre et a mundo, ita ipsi grano influit virtus a mundo tantum. †Focilla autem huius homogenes† sive forma seminis in prima eius[3] condit organa animae vegetativae apta, et conditis organis regit illa et informat, et ipsa est in eis iam anima vegetativa in actu. Et licet ipsa sit ubique tota, verumtamen semper est una pars in qua maxime apparet eius operatio, et ideo dicitur vigere in illa praecipue sicut natura in caelo, et illa pars dicitur membrum principale, et haec pars in animali est cor.

Sciendum etiam quod forma illius homogenei est resultans ex commixtione corporum simplicium, cum tamen ipsa sit una et simplex substantia, et anima vegetativa est educta ex forma illius homogenei †mox cum illud homogeneum organicum organis vegetationi aptis†. Et anima vegetativa una est et simplex substantia quamvis ex diversis miscibilibus proveniat; quamvis etiam diversa organa regat et in illis diversas exerceat operationes, haec enim non substantiae, sed virtutum, facit diversitatem.

---

[1] est] *spatium vacuum duarum fere vocum capax post* est *reliquit* **P***, sed nihil excidisse videtur.*

[2] omnem] *fere* dem̄ **P**.

[3] eius] *spatium vacuum unius vocis capax post* eius *reliquit* **P**, *sed nihil excidisse videtur.*

Cum autem iam fuerit subiectum informatum anima vegetativa, consequenter magis fulcita eius forma per influentiam virtutum magis digerit[1] suam materiam et congregat quod in ea est magis grossum et terrestre, ut ex eo condat ossa grossa, solida et dura ad corporis sustentationem, et aliud quod est grossum et terrestre. Sed non adeo relegat in pilos, unde tam ossa quam pili magnam habent convenientiam cum mineralibus, ossa quidem cum lapidibus et pili cum metallis. Cornibus sunt similia ungues.

Totum autem quod restat post separationem huius grossi terrestis si imaginati fuerimus illud sub formae identitate, et non <ut> est distinctum sicut modo est per formas diversas, quarum quaedam est carnis et quaedam nervi et quaedam cutis et quaedam oculi et quaedam auris, et sic de ceteris—illud est subiectum virtutis tactivae. Iam enim inerit formae informanti illud residuum possibilitas apprehendendi formas operationum corporum naturalium illi applicatorum eo[2] quod **/61rB/** formae huius residui insita est haec potentia tactiva in omni parte animalis praeterquam in ossibus et cornibus et unguibus et pilis.

Verumtamen, sicut anima vegetativa, quamvis sit in omni parte corporis, nihilominus maxime apparet eius operatio in corde, a simili virtus tactiva, quamvis vigeat in omni parte huius residui, tamen praecipue dicitur consistere in cerebro; omnis enim forma organica hoc contrahit a natura regitiva universi quod sicut illa praecipue viget in caelo, quod est tamquam membrum principale animalis magni, et tamen est ubique alibi in toto universo, similiter quaelibet virtus organica in uno principali membro sui subiecti videtur vigere praecipue, et cum toto suo subiecto est.

Hiis bene inspectis patet quomodo virtus tactiva dicitur maxime naturalis, quia est materiae proxima.

Consequenter, cum supradictum residuum magis digeritur, fiunt ex eo organa varia alia virtutum sensitivarum,[3] ita quid<em> quod unumquodque organum ex parte materiae sibi apta—ut lingua ex materia apta gustui et oculus ex materia apta visui, et sic in ceteris—et in illis organis vigent consequenter diversae virtutes animae, manet tamen in omni organo virtus tactiva sub virtute posteriori, cui dicitur appropriari illud organum sicut prius et communius sub posteriori et specialiori, et non convertetur

---

[1] digerit] degerit **P**.

[2] eo] et **P**.

[3] sensitivarum] sensit viarum **P**.

subsistendi consequentia a tactiva ad ceteras apprehensivas, sicut nec a communiori ad magis contractum.

Redeundum ergo ad quaestionem quae quaerit an tactus sit sensus unus particularis an plures. Et dicendum est quod est sensus unus et ab unica virtute procedens, sed quia illa forma a qua procedit temperatur a formis miscibilium diversis, ideo potest sensus tactus in apprehensione plurium contrarietatum quae reperiuntur in ipsis miscibilibus, et quia latet nos qualiter omnes tangibiles contrarietates reducuntur in unam contrarietatem primam, ideo cum cogitaverimus in hoc videtur nobis quod tactus **/61vA/** sit sensus plures et non unus. Sed mihi visum est quod si non reducerentur omnes tangibiles contrarietates ad unam contrarietatem primam—et non dico ad privationem et habitum, immo ad unam contrarietatem cuius ambo extrema aliquid ponunt—non esset possibile ipsum tactivum quod temperatur ex tangibilibus esse vere unum nec habere formam unam.

Habito ergo quod omnes tangibiles contrarietates aliae a duobus primis, quae sunt activarum et passivarum qualitatum, reducuntur ad duas potentias, et illae duae possunt reduci in unam per hoc quod una contrarietas est materialis respectu alterius, illa sc. quae est in passivis respectu illius quae est in activis. Dico ergo quod huius unius contrarietatis extrema sunt innominata, et in uno extremo sunt humidum et calidum, in reliquo vero siccum et frigidum. Huius ergo unius contrarietatis primo est sensus tactus, et consistit in medietate seu temperamento suorum extremorum.

→ *2.2* Ad hoc autem quod opponebatur quod unius una est perfectio respondendum quod multipliciter dicitur perfectio: uno modo dicitur perfectio illud quo res est id quod est per essentiam, et hoc modo iustum est quod unius una sit perfectio, et sic habet sensus tactus unam perfectionem, quae datur intelligi per supradictam eius definitionem; alio modo dicitur perfectio id ad quod terminatur alicuius inclinatio, et sic possunt unius rei multae esse perfectiones, nam eadem materia potest habere ad diversos actus inclinationem. Verum est quod forma intelligibilis est perfectio intellectus, et forma sensibilis est perfectio sensus.

→ *2.6* Ad hoc quod tertio opponitur, sc. quod unius contrarietatis plura possunt esse media, sed non unum plurium contrarietatum, dicendum quod hoc verum est—nisi fuerint illae contrarietates reducibiles ad unam contrarietatem sicut ad radicem; quamvis autem tangibilium plures sint contrarietates, in quorum medio consistit tactus, omnes autem reducuntur ad unam contrarietatem primam, sicut dictum est.

Sed hoc intelligere subtilem exigit perscrutationem. Et quia illa reductio, etsi vera sit, tamen laboriosa est propter sui latitationem, et indisciplinabilis propter defectum nominum, et parum †proficientia† ad posteriores perscrutationes in physicis, propter hoc forte omiserunt illam Aristoteles et Avicenna et perstiterunt in sermonibus de tactu in pluralitate **/61vB/** sensus tactus et contrarietatum tangibilium non subtiliando quomodo sit ibi unitas. Et hoc significat Aristoteles cum dicit[1] quod non est verum unum subiectum esse tactui sicut sonus auditui.

→ *c*. Ad hoc autem quod quaeritur quare tactus plus ceteris animali est necessarius, secundum quod dicit Commentator[2] quod animalia indigent in salute ut sentiant tangibilia, dicendum quod hoc est quia unumquodque proportionatum ex contrariis <cum> corrumpitur per distractionem a temperie in alterum extremorum, est simile illi extremo; et quod ducit dispara[[men]]tum ad temperiem est simile reliquo extremo. Quia ergo sensus per se est apprehensio actionum illorum extremorum ex quibus proportionatur et componitur corpus animalis, per quae quidem est ipsi animali salus et corruptio, ideo maxime necessarium fuit animali in salute ut haberet sensum tactus[3] quo perpenderet sibi salutifera et mortifera immediate.

---

[1] *Cf.* Arist., *de An.* II.11.422b32-34.

[2] Averroes, *de An.* II.111, 302.14-15: "animalia indigent in salute ut sentiant tangibilia".

[3] tactus] tactum **P**.